Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 861
Quelle:
Copyright:

Abutalibus victas dat veritati christianae manus. Interpres *Alphonsus Bonibominis* s. *Buenhombre* O. P. Sec. XIV. Scriptor, de quo adi *Quetifum et Echardum* T. I. p. 594. et aliud Samuelis Opusculum inscriptum: *Epistola Rabbi Samuelis Israelitae ad Rabbi Isaac*, latine vertit, quod et manu scriptum in Bibliothecis passim obversatur, et ab ipsis Typographiae cunabulis prela frequenter fatigavit, sed nostrum nonnisi in *Catal. Msptor. Angl. et Hib.* T. II. p. 250. citari video. Quod enim Disputationem Samuelis Marochii cum Abutalibo habitam, quam ex *Nic. Antonii Bibl. Hisp. Vet.* tanquam in Bibliotheca Scorialensi existentem excitat *Wolfius Bibl. Hebr.* I. p. 1099. adtinet, eam et in *Mich. Casirii Bibl. Arabicobisp.* frustra indagavi, et a Commercio nostro epistolico diversam esse debere liquet. Ob magnam itaque hujus raritatem Traductoris Praefamen integrum Lectoribus hic offerendum duxi. *Ego Frater Alfonsus hispanus libellum hunc antiquissimum. qui nuper casu deuenit ad manus meas cum essem apud marrochium in captiuitate sarracenorum. et fuerat prius multis temporibus a iudeis occultatus, noua translatione de arabico in latinum per me interpretatum uobis transmitto legendum maxime propter arabicarum peritiam literarum, quia in eis ipsi arabi iudeis christianisque sibi notis scribunt confidenter secreta sua, que ab aliis uolunt occultari. Ideo ut cogito breuis huius libri scriptor, non ipsum alio sermone nisi arabico enodauit. quum terminus sequentis disputationis pro responsione sarracenni a conclusione fidei christianitatis non deue — — Ego dictus frater Alfonsus adiuratus per deum auctoritates biblie inductas infra per dictum hebreum in transferendo librum istum, scribam sicut ipse scripsit fideliter, licet non sic habeant in nostra translatione secundum hieronimum. et hoc ideo intendo facere, ne aliquis imponat mihi quod aliquid in textu presumpserim addere uel diminuere aut mutare sicut feci in alio uolumine istius hebrei* (in Epistola scil. ad R. Isaac) *in quo nil mutatur de scriptura sua. Quare super hoc sunt et erunt mihi testes omnes qui arabicum sciunt, quorum modum loquendi, et ordinem scribendi quantum mihi fuerit possibile obseruabo.* Hucusque Interpres. Non desunt tamen, quibus in utroque ejus Opusculo pia fraus subolet. Codex noster hac clausula explicit: *Scriptum hoc opus per me Sigismundum de Sigismundis comitem Palatinum Ferrariensem: anno domini* MCCCCLXXXVIII. *mensis octobris die* XVIIII.

CCXLVIII. VI. D. 14

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 232. f. a *fol.* 25. nitidissime perscriptus continet: I. *Hieronymi* et *Aliorum* ad *Hieronymum Epistolas* XCVIII. non tamen genuinas omnes, ut subjecta 224